

» tione accipiendum est; stricta au-
» tem significatione laedi corpus di-
» citur. »

Idipsum vero tenent Conrado
Memoriale de Censuris pag. 92, Ciolli
Commentario Prattico n. 140. et
alii.

Secundo loco excommunicantur
perterrefacientes, illi scilicet qui
gravem timorem incutiunt Inquisi-
toribus, denuntiantibus, testibus.
Hic autem timor talis esse debet
ut ad reatum mortalis culpae as-
surgat, sine qua excommunicatio
non incurritur.

Timor levis itaque non infert ex-
communicationem illum inferenti,
atque illum in huiusmodi casibus
dari posse neque putamus, cum ad
incutiendum Inquisitoribus terrorem
maxima requiratur vis; qua de causa
nobis non displicet Carenae sen-
tentia, qui *De Officio Sanctissimae*
Inquisitionis part. II. tit. XIII,
n. 66 affirmat, verbum *perterrefa-*
cere illis tantum applicari posse qui
terrorem non verbis sed factis in-
gerunt. Reapse si Sancti Pii V Con-
stitutionem consideremus, ea quae
ibi prohibentur, talia sunt quae facta
requirant, atque violentiam. Id vero
et ab ipso verbo *perterrefacere* pa-
tefit, quod nedum timorem gravem
indicat, sed terrorem, ideoque plus
quam timorem gravem; at terror
utique per facta incutitur, per verba
difficillime, aut tantum per verba
principis vel habentis auctoritatem
qui prolatas comminationes illico
potest ad effectum deducere.

Prohibentur autem laedi et per-
terrefieri Inquisitores, denuntian-
tes, testes, aliique ministri S. Of-
ficii.

Porro *Inquisitores* sunt quibus
commisum est inquirere in hae-
reticos, repertos ad tribunal advo-
care, carceribus mancipare, actaque
processualia conficere atque ad Su-
premos Inquisitores transmittere.

Denuntiantes sunt qui haereti-
cum, aut crimen ad Inquisitores
deferunt. *Testes* qui vocantur ad
testimonium ferendum circa crimen
denuntiatum. *Ministri* sunt qui de-
putati sunt pro servitio S. Officii,
ut Notarii, Advocati, Consultores,
executores etc. Qui igitur hos vel
laedunt, vel tantum perterrefaciunt
excommunicationem Piani Capitis
nemini reservatam incurrun.

Et quidem quicumque ii sint, et
cuiuscumque dignitatis; si supremi
Principes, et S. R. E. Cardinales
excipiantur, quia, ut non semel
obseravimus, hi sub latae senten-
tiae censuris non comprehendun-
tur, nisi disertis verbis exprimantur.

At praeter laedentes et perter-
refacientes, excommunicantur S. Of-
ficii Scripturas *diripientes*, aut *com-*
burentes.

Porro diripiunt non qui clam
furantur, sed qui vi Scripturas au-
ferunt; qua de causa si qui clam ex
S. Tribunali S. Officii suffuraretur
Scripturas, hanc excommunicatio-
nem non incurreret, cum non di-
riperet. Et multo minus incurre-

ret qui suffuratas aut direptas Scri-
pturas emeret, acciperet, abscon-
deret; horum enim nemo diripuit.

Comburunt autem qui S. Officii
Scripturas incendio destruunt. Hi
autem tum ipsi diripientes esse pos-
sunt, tum alii qui ab diripientibus
eas acceperunt; etenim et hi reapse
S. Officii Scripturas comburunt, imo
ipsi tantum, cum alii diripuerint.
Actiones enim a legislatore proscri-
ptae sunt distinctae; atque excom-
municatio incurritur tum ob solam
direptionem, tum ob solam com-
bustionem. Attamen tum diripien-
tes, tum comburentes ad excom-
municationem incurrendam scire
debent Scripturas illas ad S. Offi-
cium pertinere, ut patet.

Quid ergo? Num ne qui primum
diripuit, postea S. Officii Scripturas
combussit duplicem incurrit excom-
municationem?

Et ne quidem dubitandum vide-
tur, cum actio utraque sit distincta,
atque pro utraque excommunicatio
illata.

Attamen quantum ad Scriptura-
rum S. Officii vim essentiam, et
extensionem attinet, Commentato-
res in diversas sententias abeunt.
Et quidem quantum ad essentiam
attinet, quaeritur: an Scripturarum
nomine etiam libri typis impressi
veniant, vel sint intelligenda ma-
nuscripta tantum, seu protocolla
vel acta processualia, aliaeve char-
tae? Quantum vero ad extensionem,
quaerunt Commentatores: an ad in-
currendam excommunicationem ne-

cessarium sit plures Scripturas di-
ripere aut comburere, vel unius
tantum scripturae direptio aut com-
bustio excommunicationem inducat?

Relate ad primum caput, clar.
Piatò *Commentarius in Constit.*
Apostolicae Sedis, pag. 244 scri-
bit: « Per Scripturas intelliguntur
» libri, literae, auctoritates, exem-
» plaria, regestra, protocolla exem-
» pla, Scripturae, aliave instrumen-
» ta sive publica, sive privata ubi-
» cumque posita. » Idipsum vero
putat de Varceno *Compendium Theo-*
logiae Moralis, Tom. II. pag. 500
n. 2. atque innititur S. Pii V. Con-
stitutioni, in qua § 3. primo loco
libri Supremae Inquisitionis recen-
sentur, deinde *litterae, auctorita-*
tes, exemplaria, aliaeve Scripturae.
Ita ut pro praestantissimis scripto-
ribus ideo in Piano Capite Scriptu-
rarum nomine etiam *libri* veniant,
eo quod Pius Papa IX nomine scri-
pturarum omnia illa complexus sit
quae S. Pius V in cit. §. 3 ex-
pressit.

Prolatam sententiam veram esse
dicimus, tum quia Scripturarum
nomine etiam libri veniant; tum
quia certum videtur Pium Papam IX
per *Scripturas* exprimere voluisse
quae in cit. § 3 Pius V expresserat;
tum quia Scripturae saltem pluri-
mae quae ab Inquisitoribus pera-
guntur typis amandantur, ut Car-
dinalibus, Consultoribus, aliisque
ministri S. Officii perpendendae
distribuantur; tum quia si per Scri-
pturas Manuscripta tantum intelli-

gerentur, non satis consultum Archiviorum Inquisitionis securitati fuisset, cum per direptionem Scripturarum typis impressarum omnia cognoscerentur quae altissimo silentio tegi debent; tum quia in pluribus casibus Scripturae typis impressae nil aliud sunt quam denunciations, depositiones testium, ipsaque acta iudicialia quae antea calamo excipi debuerunt, ut postea imprimerentur; sunt itaque una eademque res; scilicet ipsae Scripturae.

Attamen si quis diriperet libros nullo modo ad acta S. Officii pertinentes, neque de negotiis tractantes quae in Tribunali aguntur, non putarem per eiusmodi direptionem aut combustionem excommunicationem incurri, cum libri praedicti proprie non sint *Scripturae eiusdem Sacri Tribunalis*; atque in singulis tribunalibus vel Congregationibus Ecclesiasticis parva quaedam bibliotheca plerumque habeatur in usum officialium, Ministrorum, eorumque qui ecclesiasticas disciplinas practice ediscunt. Legislatores insuper ideo eiusmodi excommunicationem intulerunt, ut consulerent nedum S. Tribunalis securitati, sed famae eorum qui delati fuerunt, incolunitati denuntiantium et testium, atque praesertim negotiorum magnitudini. Direptio autem librorum in usum Secretariae vel Congregationis eius-

modi fini nullum detrimentum inferret.

Relate ad secundam quaestionem, cl. Commentator Reatinus arbitratur non incurrere excommunicationem qui *unam vel alteram Scripturam aufert vi n. 161.*

De Varceno loc.cit. distinguit: « Si » nempe illa Scriptura integram denuntiationem, vel integram causam, » vel eius notabilem partem contineat pertinentem ad S. Officium » contra ipsum diripientem aut » alium, contrahit hanc excommunicationem, quia verificatur quod » sit patratum ad impediendam » sententiam huius tribunalis. Si » vero Scriptura non sit tanti momenti, haud contrahit hanc excommunicationem; habetur enim » ut parvitas materiae. »

E contra Ciolli *Commentario pratico delle censure n. 149.* putat, excommunicationem contrahi quamvis una tantum Scriptura diripiatur, aut comburatur: (1) Quae sententia facile ad sententiam a De Varceno propugnatam reducitur, dummodo rite intelligatur. Antequam sententiam nostram exponamus, praemittimus.

1. Verum non esse quod scribit de Varceno, contrahi scilicet hanc excommunicationem a diripientibus integram denuntiationem, vel integram causam, vel eius notabilem partem etc. quia verificatur quod sit patratum (crimen) ad impediendam

(1) L'incorre.... chi rapisce o brucia anche una sola Scrittura delle suddette.

sententiam huius tribunalis. Etenim necessarium non est, neque aut ex Pii V Constitutione, aut Pii IX capite ullo modo apparet, direptionem fieri debere ad impediendam sententiam; sed unum tantum necessarium esse ad incurrendam excommunicationem, ut quis scilicet diripiat aut comburat Scripturas S. Tribunalis, quaecumque eae demum sint, necessariae nec ne ad profereendam sententiam, antiquae vel recentiores; sin minus posset quis diripere et comburere fere universum Archivium Inquisitionis Romanae, et nullam excommunicationem incurrere, quia, si recentiores causae aut acta excipiantur, cetera protocolla et Scripturae continent causas iam definitas, quaeque pertinent ad personas iam defunctas, quarumque vix aut ne vix quidem extat memoria.

2. Hoc in capite per verba *Sacri tribunalis* intelligendum esse locum quo Scripturae custodiuntur, non personae ad S. Officium utcumque pertinentes quae Scripturas deferant; non enim proprie diripiuntur aut praedantur personae, sed loca quaelibet ut agri, castra, civitates, domus; de coetero Pius IX Pii V sanctionem renovavit, qui diserte de locis in quibus S. Officii custodiuntur Scripturae locutus est: dixit enim. « Quive... Scripturas, aliave instrumenta sive publica, sive privata ubicumque posita combusserit, diriperit etc. » Ulterius Legislator, loquitur de In-

quisitoribus in quocumque regno vel provincia constitutis, quique habent Officium, tribunal, ministros etc. Neque Inquisitores secum deferunt, nisi circumstantia vel necessitas cogat, scripturas, sed eas in loco quem inhabitant conficiunt, vel ad eum illico deferunt ac deponunt, si alibi acta quaelibet confecerint.

Demum Legislator iuxta communem agendi rationem, et constitutionem Supremae Inquisitionis locutus supponendus est; consuetudo autem est, ut denuntiantes, testes etc. ad locum quem Inquisitores inhabitant pergant, nisi quid obstet, ibique peragant quae peragere autumaverint.

3. Direptio, de qua Pius IX loquitur eadem est ac ea de qua loquitur S. Pius V. Hic vero tumultuariam quandam agendi rationem, quantum ad direptionem attingit, innuit, ut ex universo Constitutionis contextu patet, ita ut significet irruptionem privatorum, vel populi sponte insurgentium, vel de mandato principum saecularium contra Inquisitores, horumque domus invadentium, et Scripturas diripientium S. Tribunalis.

4. Demum Pius Papa IX inquit: *Scripturas S. Tribunalis.* Tribunal autem locus est in quo, ab Inquisitoribus sententiae pronunciantur; at certum est in eodem loco Scripturas plerumque custodiri quamvis et in alio loco custodiri possint, Nullo pacto igitur dubitandum est

quin Pii IX textus intelligendus sit de loco, quo Scripturae conservantur.

Porro in Archivio Inquisitorum plurimae sunt Scripturae, plurima plerumque protocolla, atque iudiciales sententiae; cum ergo de direptione agatur, quae a privata persona et sola confici non potest, sed a populo vel sponte tumultuante vel ad tumultum excitato a nefariis hominibus, vel de mandato aut consensu principis in Inquisitorum et Inquisitionis odium, direptio unius Scripturae vel non concipitur, vel tum tantum cum supponuntur Inquisitores tumultum direptionemque praevidis, atque Scripturas asportasse vel abscondisse, casuque factum ut aliqua remaneret quam diripuerunt, quod accidens esset; ea vero quae casualiter contingunt Legislatores sub lege comprehendere non intelligant.

Ex his vero patere arbitramur, quod cum direptio seu praedatio in loca fiat ubi Scripturae S. Tribunalis conservantur, idque in odium Inquisitionis, unius Scripturae direptio vix aut ne vix quidem concipitur.

Quod 4. etiam ex textu legis patet; non enim Pius Papa IX dixit: *eiusque Sacri tribunalis Scripturam aliquam diripientes aut comburentes*, sed *Scripturas*, quo innuit Scripturas esse plures debere. Utique dicturus aliquis erit, Pium IX speciem Scripturarum de-

signare voluisse, non numerum, ideoque etiam Scripturam unam diripientes legem transgredi, et excommunicationem incurrere. Attamen cum Legislator numerum pluralem adhibuerit, quomodo probatur eum sicuti speciem, ita et unam Scripturam designare voluisse, cum praesertim de praedatione agatur, qua omnia susdeque vertuntur, atque de caetero optime legislator potuisset singulari numero crimen designare, inquiringo ex. gr. *vel aliquam Scripturam, vel aliquid de Scripturis eiusdem S. Tribunalis diripientes?*

5. Atque agitur de lege poenali in qua verba sunt stricto sensu accipienda, neque de casu in casum extendi potest ob paritatem rationis; at si vox *Scripturas* ad unam tantum scripturam extenderetur, lex etiam extenderetur contra naturam legis odiosae.

6. Quidquid demum sit; ad incurrendam excommunicationem requiritur culpa undequaque certa, et ad tramites latae prohibitionis. At certum non est, neque ex contextu, neque ex verbis legis, neque ex mente legislatoris, unius Scripturae direptionem satis esse ad excommunicationem hanc inducendam, non possumus ergo unius Scripturae ad Sacrum Tribunal Inquisitionis pertinentis direptorem excommunicatum proclamare, quia de lege in casu certe non constat.

Putamus ergo veram esse sententiam a cl. d'Annibali propugna-

tam, ob unius scilicet vel alterius Scripturae direptionem excommunicationem non incurri.

Certum est autem excommunicationem incurri, quamvis Scripturae non diripiantur in Palatio S. Officii, sed in quocumque loco eae conserventur; lex enim non locum, sed Scripturarum speciem determinat.

Quid vero si quis Scripturas S. Officii non comburat, sed alias quomodocumque destruat?

Et quidem Ciolli *Commentario Pratico delle Censure n. 149. 2.* affirmat, hanc excommunicationem etiam ab iis incurri qui S. Officii Scripturas non comburant, sed aliis quibuscumque modis destruant, quia ubi eadem ratio ibi eadem dispositio legis (1).

Haec autem sententia non ita certa videtur ut primo apparere posset intuitu; etenim Legislator duas explicate actiones excommunicatione mulctavit, *direptionem* et *combustionem*. Lex autem poenalis stricto omnino sensu accipienda est, neque ob similitudinem rationis extendi potest de casu in casum, praesertim cum actio adeo determinata est, ut cum nulla alia confundi possit, prout combustio confundi non potest cum alia actione quacumque ad destruendas S. Officii Scripturas, ex. gr.

dilaceratione, projectione in flumine, in mari, in alio quocumque loco.

Quod vero in lege odiosa seu poenali eadem ratio satis non sit ad incurrendam excommunicationem ex ipso Ciolli probamus, qui *loc. cit. n. 149* affirmat, hac excommunicatione illos non percelli qui Scripturas S. Tribunalis clam furantur (2). Attamen in furto eadem ratio esse posset, et eadem incommoda evenirent, vel evenire possent quae in direptione. Qua ergo de causa ad eiusmodi furtum excommunicatio non extenditur? Id autem nefas esset etiam ea ratione, quod quamvis S. Pius V excommunicatione eos quoque perculerit qui Scripturas S. Officii *intervertissent*, fraude scilicet et abstutia abripuissent, vel in direptione et incendio causa fuerint scripturas S. Officii capiendi, comburendi, supprimendi, Pius IX tamen unos diripientes excommunicatione ferrii.

Quantum vero ad comburentes attinet, hos unos et Pius V, et Pius VI excommunicatione perculere; nulla igitur ratio est quare ad alios qui comburentes non sunt excommunicatio extendatur.

Hoc insuper in loco observare debemus, non satis accurata ea esse quae eruditissimi Scriptores *de la*

(1) L'incorre chi le distrugge anche in altro modo che non sia col bruciarle, perchè *ubi eadem* etc.

(2) Non incorre la censura chi ruba di nascosto, o sottrae con astuzia dette « Scritture, perchè questo non è rapirle, cioè torle per forza.

Nouvelle Revue Theologique Tom. 11, pag. 483. n. 16: proferunt, scilicet: «Auctores constitutioni S. Pii V » insistentes innuunt, actiones hoc » in Capite excommunicatione percussas fieri debere ad finem impediendi quominus causa ad S. Officium deferatur, aut Tribunal sententiam proferat, aut in odium membrorum S. Officii qua tali- » (1)

Qua in re si de personis agitur res est manifesta, cum uterque Pius de Inquisitoribus reduplicative loquantur. Qua de causa qui laederent, aut perterrefacerent Inquisitores aut Ministros Inquisitionis vel odii personalis causa, vel ratione aut suppositione iniuriae acceptae, vel alio quocumque motivo, quod ad Inquisitionem non referatur, praesentis Capituli excommunicationem effugient.

At non ita dicendum est quantum ad Scripturas attinet. Nullimode enim necessarium est ut Scripturae diripiantur aut comburantur, vel ad impediendam introductionem causae apud tribunal Inquisitionis, vel prolationem sententiae, vel in

odium membrorum S. Officii; sed satis est ut Scripturae S. Officii diripiantur et comburantur. Sin minus qui nunc diriperent et comburerent Archiviorum Inquisitoriarum Scripturas, quas centum ab hinc annis confectae sunt, et in quibus nulla comburentium aut diripientium quaestio intercedit, excommunicationem non incurrerent.

Quod esset omnino falsum, cum hi reapse diriperent et comburerent eiusdem S. Tribunalis Scripturas, omnimodis scilicet legem transgrederentur. Qua de causa verba praeclarissimorum Scriptorum de unis personis intelligenda sunt.

Relate ad cooperatores secundarios excommunicantur *praedictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem praestantes*; quae quid sint non semel in primo Commentarii volumine explicuimus. Illud tamen semper lectores advertant, cooperatores intuitu principalium agentium, seu actionis principalis excommunicari; qua de causa si actio principalis posita non fuit, vel complices in illam non influxerint, ut si, ex. gr. etiam sine ipsorum con-

(1) Les auteurs font remarquer, en s'appuyant sur la Bulle de S. Pie V. que les actions frappées d'anathème dans ce paragraphe, doivent être faites dans le but d'empêcher que la cause ne soit déferée au saint office, ou que ce tribunal ne rende sa sentence, ou en haine des membres du Saint Office, comme tels.

Porro pro eiusmodi sententia citant etiam De Varceno. At hic loquitur tantum de personis: Scribit enim loc. cit. 499. « Laedentes aut perterrefacientes Inquisitores etc. Intellige modo sit iniuria gravis facta in persona... Intellige quoque impediendi causa, quominus ad Sacrum Tribunal causas deferant, vel ad impediendam sententiam, vel in contemptum et odium ipsius S. Tribunalis, quia si ad alium finem vel alia de causa hoc agunt, vel nisi eos cognoscant ut tales... non incurrunt censuram huius articuli. »

silio et favore actio principalis suscepta et ad finem perducta fuisset, vel principales agentes ad eam peragenda dato consilio et favore praestito moti non fuerunt, complices secundarii excommunicationem numquam incurrunt.

Post haec unum expendendum superest. S. Pius V in cit. Constitutione loquens de complicibus, scientiam requisivit: *sive alias auxilium, consilium, aut favorem in quolibet praedictorum scienter praestiterit.*

E contra Pius Papa IX in allegato capite adverbium *scienter* praetermisit. Hinc Commentatores discrepant. Et quidem De Varceno in complicibus etiam post Constit. *Apostolicae* ad incurrendam excommunicationem scientiam requirit loc. cit. pag. 500 scribens: « Su- » biiciuntur huic excommunicati- » oni... 4. Auxilium, consilium, » vel favorem publice vel occulte » in quolibet praedictorum *scienter* » praestantes. » E contra Godchalk, quem sequuntur et. Scriptores *de la*

Nouvelle Revue theologique Tom. XI, pag. 482 scientiam repudiat, ea prorsus de causa quod Pius Papa IX eiusmodi conditionem praetermisit. Quid ergo?

Ex discussione capite praecedenti peracta patere arbitramur, adverbium *scienter*, seu scientiae conditionem quamvis praetermissam subintelligendam semper esse, cum actio excommunicatione percussa illam necessario expostulat; si vero illam necessario non expostulat standum esse verbis legis, et non esse requirendam. Porro in casu nostro scientia non est necessario coniuncta cum complicum actione, ut necessario coniunctam probavimus cum mandantibus et cogentibus sepelire notorios haereticos etc. hinc in praesenti capite non punitur scientia et praesumptio, sed unicum factum cooperationis ad actiones principales. Ignorantia igitur culpabilis non excusat complices, sed tantum ignorantia invincibilis circa factum, ius, et poenam.

APPENDIX XXXVI.

De Excommunicatione lata contra alienantes et recipere praesumentes bona ecclesiastica absque beneplacito apostolico ad formam *Extravagantis Ambitosae.*

Bona ecclesiastica sunt quae pertinent ad Ecclesias, beneficia, monasteria, hospitalia, eremitoria, cappellas, dummodo hae auctoritate Episcopi sint fundatae. Horum dominium est penes ecclesias vel loca pia ad quae pertinent; administra-

tio penes eos, quibus a communitate sive libere commissa est, sive ut collato officio adnexa, ut ex. gr. sunt Syndici, Rectores, procuratores etc.; tutela et cura penes Episcopos residet.

Quoniam vero bona Ecclesiae in